

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regularum Philosophicarum Disputatio X. continens Regulas VII.
pertinentes ad doctrinam Abstracti et Concreti

urn:nbn:de:bsz:31-102400

aliquas substantiales intendi & remitti.
 2. Illa sententia Averrois & Zabarella contro-
 versata adhuc est, & à pluribus explodi-
 tur. nec data distinctio consistere posse vi-
 detur, de quâ videantur alii.

Regularum Philosophicarum

DISPUTATIO X.

CONTINENS

REGULAS VII.

pertinentes ad doctrinam

ABSTRACTI ET CON-
CRETI.

Cum abstractum sit forma concretis
 vel saltem se habeat ut forma, &
 concretum ut formatum, rectè Ti-
 tulus de Abstractò & Concretò, illi, qui
 de formâ est, subjungitur.

REGULA I.

*Si abstractum predicatur de abstractò, et-
 iam concretum predicatur de
 concretò.*

*Ute, c. Physica est scientia. E. Physicus est
 sciens. Medicina est ars. E. medicus est arti-
 fex. Albedo est color. E. album est coloratum.
 Absolutè hæc Regula vera est, nec ullam,
 quod ego scio, patitur instantiam.*

REGU-

*Si concretum predicatur de concretò, etiam
abstractum predicatur de
abstractò.*

I. In prædicationibus accidentalibus non habet locum. Album enim est dulce, & homo est sciens; non tamen albo edo dulce, nec humanitas est scientia. Quin nec in omnibus essentialibus videtur valere, cum non valeat in iis, quæ prædicantur quidem essentialiter, sed in quale. Verum enim est, cum dico: *Homo est animatus*. Falsum autem, si dicam: *Humanitas est anima*. Perpetua autem veritatis est in prædicationibus quidditativis, sive in iis, quæ prædicantur in quid.

II. Unde etiam Aristoteles *IV. Top. cap. IV.* in problematibus de genere, quod in quid prædicari nemo non novit, locum quendam proposuit de conjugatis (quæ ab aliis rectius dicuntur *cognata*) qui duas hasce continet Regulas, docens: Si propositum dicatur de propositò, tanquam genus, etiam cognatum dici de cognatò, h. e. si abstractum sit genus abstracti, etiam concretum concreti genus esse; & vice versa: Si concretum concreti genus sit, etiam abstractum abstracti genus esse. Idemque
ali-

asserit
castis,
& i, &
in his
cesserit
horum
reliqui
stitia
scientia
picè
Logica
III.
bus a
quæ i
præd
neris
vel su
form
scien
dens
distin
man
dum
quan
cunc
quia
& ve
cept
quan

asserit de casibus: Si enim casus sit genus casus, necesse est, etiam abstractum abstracti, & concretum concreti genus esse. Et si in hisce unum sit genus alterius, etiam necesse est, casum casus genus esse. Si autem horum unum non est genus alterius, nec reliqua erunt genera reliquorum; ut, si iustitia scientia est, etiam iuste agere erit, scienter agere, & iustus erit sciens; & si topicè disputare, est artificiosè disputare, Logicus erit artifex, & Logica ars.

III. Cæterùm, quod de prædicationibus accidentalibus, imò quibuscunque, quæ in quale sunt, diximus, sciendum est, prædicationes huiusmodi duplicis esse generis. In quibusdam enim abstracta ipsa, vel subiectum & prædicatum, quantum ad formale, differunt *realiter*: ut *homo est sciens, est animatus*. Scientia enim est accidens, realiter ab homine & humanitate, distinctum, & anima est pars hominis & humanitatis, realiter ab iis distincta. Interdum autem differunt ratione tantùm: ut, *quantum est divisibile*, divisibilitas enim secundum rem est ipsa quantitas, interim quia essentia est primus rerum conceptus, & verò divisibilitas non est de primò conceptu quantitatis, cum primus conceptus quantitatis consistat in extensione, sive in
hoc

etiam

ntalibus
dulce, &
oedo est
a. Quin
ur vale-
adican-
ale. Ve-
animatus.
us est ani-
n prædi-
is, quæ

Top. cap.
quod in
locum
quæ ab
i duas
propo-
am ge-
tò, h. e.
etiam
ice ver-
etiam
lemque
aflic-

hòc, quod habeat partem extra partem, quem conceptum sequitur, eòque posterior est divisibilitas, (ex eò enim, quod aliquid partem extra partem habet, immediate & sine additione alicujus secundum rem distincti sequitur, quod divisibile sit in hujusmodi partes) ideò divisibile esse, potest dici accidens quantitatis, voce accidentis latè sumtâ, ut opponitur essentia, & sumitur pro omni eò, quod eum de re prædicari possit, de ejus essentiâ non est.

IV. Jam dico: Regulam veram esse de omnibus prædicatis etiam accidentalibus, & quibuscunque in quale, in quibus abstracta solâ ratione distinguuntur: quemadmodum utraque hæc vera est, *quantum est divisibile, & quantitas ejus est divisibilitas.*

V. Scorus *I. dist. V. quest. I.* August. Niph. *III. Metaph. disp. II.* Cajetanus *de ente & essentiâ cap. IV.* Antonius Ruy. *Tract. de prædicat. abstractorum § 15.* & ex parte etiam Suarez *disp. Metaph. VI. sect. X.* istas propositiones: *Humanitas est animalitas, animalitas est rationalitas,* habent pro falsis. Quorum sententia si vera est, securim impingit nostræ doctrinæ hætenus traditæ. Nam I. Regula non erit universim vera de iis, quæ prædicantur in quid. Cum enim dico: *Homo est animal;* prædicatur concretum de con-

soncret
care ab
sunt ho
Convel
Regula
quæ præ
talter
lâ ratio
Homo an
rationalis
etiam
Autori
autem
nale, si
prædic
le, eti
disting
prædic
VI.
III. sect
mnes
catum
ris ha
& pro
bus a
ex A
signif
jectò.
In

concretò in quid, nec tamen licebit prædicare abstractum de abstractò, quàm falsum hoc sit: *Humanitas est animalitas*. II. Convellitur id, quod §. *preced.* diximus, Regulam locum habere in omnibus iis, quæ prædicantur in quale, etiam accidentaliter, modò abstractum distinguatur solâ ratione: nam in hisce prædicationibus: *Humanitas est animalitas, animalitas est rationalitas*, termini differunt solâ ratione, etiam concedentibus nonnullis ex citatis Autoribus; cum tamen ipsæ falsæ sint, hæc autem, *Homo est rationalis, animal est rationale*, sint veræ. Sequitur ergò, aliquando prædicari concretum de concretò in quale, etiam quando abstracta solâ ratione distinguitur, ut abstractum non possit prædicari de concretò.

VI. Verùm nos cum *Mendoza disp. Log. III. sect. III.* adductas propositiones, & omnes alias, in quibus subjectum & prædicatum solâ ratione distinguuntur, pro veris habemus. Quod ut paucis explicemus & probemus, sciendum, in propositionibus affirmativis, quemadmodum constat ex Aristotele IX. *Metaphys. s. 21.* copulam significare identitatem prædicati cum subjectò. Hinc igitur

In quacunque propositione affirmativa prædicatum

oo

dica-

*dicatum secundum rem idem est cum
subjecto, illa vera est.*

*Sed in adductis propositionibus affirmati-
vis, & omnibus, in quibus predicatum,
& subjectum solâ ratione distinguuntur,
subjectum & predicatum secundum rem
idem sunt: quod quidem de adductis
propositionibus jam supponimus & à
nonnullis ex citatis Autoribus con-
ceditur, alibi autè à nobis probatur.*

Ergo ejusmodi propositiones sunt vera.

VII. Neque est, quod quis dicat, ad ve-
ritatem propositionis affirmativæ non suf-
ficere identitatem realem terminorum,
sed requiri quoque identitatem rationis.
Nam si hoc ita esset, nullæ prædicationes
essent veræ, nisi identicæ, ut: *Homo est ho-
mo; Albedo est albedo;* in reliquis omnibus
enim termini, si non realiter, tamen ratio-
ne distinguuntur. Unde istæ prædicationes
falsæ essent: *Homo est animal, est rationalis;
Albedo est color,* quæ longè sunt absurdissi-
ma. Hæc de re ex professò infrà in *Diss. de
Propositionibus*, ubi etiam, sicut & in *Diss. de
de Toto & Partibus*, rationibus Autorum §. I.
citorum satisfaciemus. Vide interim
Mendozam l. c.

IX. Quod igitur §. I. asseruimus Regu-
am non habere locum in prædicationibus
acci-

accid
quale
bus a
prob
IX.
Arist
exten
etiam
preh

Cui

I. M
Philo
Quar
aut ju
Et ce
men
& in a
lida d
est en
ristot
esse d
do co
II. M
nostr
quod
dicet
& ger

accidentalibus, nec in aliis, quæ sunt in-
quale, intellectum volumus de iis, in qui-
bus abstracta realiter distinguuntur; idq;
probant exempla ibi proposita.

IX. Constat autem ex iis, quæ §. II. ex
Aristotele adduximus, has duas Regulas
extendendas quoq; esse ad ipsos casus, qui
etiam quodammodo sub concretis com-
prehendi, aut ad ea reduci possunt.

REGULA III.

*Cui inest abstractum, de eò predicatur
concretum.*

I. Hoc non esse universale, docet ipse
Philosophus *II. Top. cap. I.* hisce verbis:
*Quare non satis est probare, inesse albedinem,
aut iustitiam, ne probeatur esse albus, vel iustus.*
Et certè albedo est in Æthiopo, neque ta-
men Æthiops albus dici potest. Similiter
& in aquâ tepidâ calor est, quæ tamen ca-
lida dici nequit. Si & color est in albedine:
est enim genus albedinis; at secundum A-
ristotelem *IV. Phys. t. 1. 23.* genus in specie
esse dicitur; non tamen dicitur rectè albe-
do colorata.

II. Nos dicimus I. non intelligendum esse
nostrum pronunciatum de eò abstractò,
quod ita alicui inest, ut de eò in quid præ-
dicetur, quomodo species est in individuò
& genus in specie & in individuò. Cui enim
O O 2 abstra-

abstractum hōc modō inest, de eō non concretum, sed abstractum ipsum prædicatur: ut albedo dicitur color, non autem colorata; Medicina ars, non artifex.

III. II. In reliquis ut procedat, tres requiruntur conditiones, quarum I. Ut, si abstractum sive forma capax sit intensiōnis & remissionis, sit intensa ultra medium. Est autem communis Philosophorum sententia, quamlibet formam, quæ intensiōnem & remissionem recipit, intensissimam & in summâ perfectione esse, si habeat 8. gradus. Ut igitur abstractum sive forma ultra medium sit in subjectō, oportet ut ad minimum quinque habeat gradus; quod si tres tantum, vel etiam quatuor habeat, non prædicatur concretum ejus de subjectō. Cujus ratio est, quod forma, quæ gradus habet, intendique potest & remitti, habeat contrarium vel oppositum, & quot gradus desunt uni oppositorum ad summum in subjectō, tot adhiat gradus alterius oppositi. E. quia contraria non simul prædicantur de subjectō, hinc si una qualitas sit in subjectō infra medium gradum, v. g. si sit trium graduum, & altera sit ultra medium, v. g. quinque vel sex graduum, tunc jure concretum perfectius & intensius denominat subjectum, quoniam
à prin-

à prin-
utru-
bus in-
que c-
ratio-
neutr-
trum
cabit-
duort-
quinc-
qua d-
que q-
sint, r-
tepid-
IV.
sum
te; ni-
deter-
cer all-
non d-
datur
major-
bus in-
V.
notan-
zaphy-
nomin-
dam d-
tem, it-

à principaliori fit denominatio. Quod si utrumque extremorum æqualibus gradibus in subiecto fit, quod fit, quando utrumque est quatuor graduum, non est major ratio, cur unum denominet quàm alterum: neutrum igitur denominabit, h. e. neutrum igitur concretum de subiecto prædicabitur. Ut, si fit in aquâ calor trium vel duorum tantum graduum, inerit frigus quinque vel sex graduum; frigida igitur aqua dicitur non calida. Quod si utriusque quantitatis quatuor gradus in aquâ sint, nec calida dicitur, nec frigida, sed tepida.

IV. II. Condicio est, ut existat abstractum in toto subiecto, aut majori ejus parte; nisi sit ex iis formis, quæ sibi vendicant determinatam subiecti partem. Hinc licet albedo in Æthiope sit, Æthiops tamen non dicitur albus, quia albedo non extenditur per totum corpus Æthiopis, nec per majorem ejus partem, sed tantum dentibus inest.

V. Ut autem hæc melius intelligantur, notandum ex VI. *Metaphys. c. I.* & VII. *Metaphys. c. V.* formas, à quibus aliquid denominatur, esse in duplici differentiâ: quædam determinant sibi certam subiecti partem, ita, ut tantum in illâ parte esse possint-

OO 3 & non,

& non etiam in aliis; sicut crispitudo tantum capillis accidit, finitas naso, visio in oculo tantum est, & auditio in aure; quædam non respiciunt determinatè unam partem, sed ita sunt in unâ parte, ut etiam aliis inesse aptæ sint: talis forma est albedo, quæ quamvis dentibus Æthiopis tantum inest, potest tamen & aliis partibus inesse. Hæ posteriores formæ debent existere in totò subjectò, aut majori ejus parte, ut concreta de subjectò prædicentur: At formæ prioris generis etsi uni tantum parti subjecti inest, tamen concreta de eò prædicantur: quemadmodum rectè dicimus:

Hic homo est crispus, somnus, videt, audit, &c.

VI. III. Tertia conditio est, ut forma brevi non transeat, si naturâ suâ diutius permanere potest. Cujus conditionis defectu non dicitur ruber, qui ex verecundiâ ruborem, nec pallidus, qui ex metu pallorem contraxit: transeunt enim citò hæc qualitates in hõc casu, cum possint habere ex naturâ suâ perfectius & permanentius esse, sub quò subjecta denominant, sicut patet in rosâ & mortuò. Desumitur ista doctrina ex Philosopho, qui *Cap. IX. Categor. que facillè dissoluntur*, inquit, *passiones dicuntur, non qualitates: non enim per hæc qualitates dicuntur, neque enim erubescens*

ob ve
palli
esse a

v

utius

tran

re, d

etur

fluat

tur,

nec p

mod

ditio

circa

II.

dica

est, n

Arist

simp

colere

ram

ditò

tur si

trem

cum

tù si

etur

tione

diat

ob

ob verecundiam, ruber, nec pallens ob timorem, pallidus appellatur, sed aliquid passus potius esse dicitur.

VII. Dixi autem, *se potest suâ naturâ diutius manere*: quia si ejus natura sit citò transire, ipsique repugnet diutius subsistere, denominabit nihilominus suum subiectum: quâ de causâ sonus, etsi statim diffluat, tamen subiectum sonans inde dicitur, quia ejus natura est, ut citò transeat, nec perfectiorem & permanentem essendi modum habere possit. Proponunt has conditiones Conimbricenses & alii Interpretes circa locum Aristotelis modò citatum.

IX. Intelligenda verò hæc sunt de prædicatione simpliciter: *Simpliciter predicari est, nullò aliò additò predicari, sicut habet Aristoteles in fine II Top. Ut: Deum colere, simpliciter honestum est, quia si dicas: Deum colere est honestum, nullò etiam additò veram dicis. At quod non nisi cum aliquò additò est, aut prædicatur, id non prædicatur simpliciter, sed secundum quid, ut: Patrem immolare, non dicimus honestum esse, sed cum additò apud Tribalas. Ut igitur concretum simpliciter prædicetur de eò, cui abstractum inest, necesse est, tres adductas conditiones adesse, quemadmodum ex hæcenus dictis constat. Nihil n. impedit, quo minus*

concretum prædicetur de subjecto cum additō, vel secundūm quid, quando non omnes adsunt: quemadmodūm cum dico: *Aethiops est albus secundūm dentes.* Nec video inconueniens, si dicam hanc propositionem: *Hæc aqua (cui calor trium tantūm graduum inest) est calida calore trium graduum,* esse veram.

IX. Notanda autem ulterius aliqua sunt. I. Cūm Regula loquatur de concretō deductō ab abstractō, quod alicui inesse dicitur, cavendum, ne pro concretō ab aliquō abstractō deductō habeamus id, quod ab eō deductum non est. Unde non sequitur: *Dormienti inest visus. E. Dormiens est videns, siue videt.* Nam videns non est concretum deductum à visu, qui est potentia naturalis, sed à visione, quæ est potentia illius actus. Unde inferendum erat: *E. est visus.*

X. II. Non est sumendum concretum extrinsecè denominans, siquidem illud non prædicatur præterea de aliquō, quod abstractum ipsi inest, cūm aliàs ne esset quidem concretum extrinsecè denominans. Hinc non sequitur: *Oculo inest visus. E. Oculus videtur;* quia videri est concretum extrinsecè denominans, illudque dicatur videri, non cui visio inest, sed quod est subiectum

jectu
lippu
& Tr
XI
esse, c
vis er
ubi,
tum,
porte
form
rum,
fit, ta
est ab
bet, p
est au
lidum
nem i
tur a
plicit
quōv
aurō
XI
& ma
nam
de eō
impo
ficet
fens
dicer

jectum visionis, quæ in oculo est. Vide Philippum DuTrieu *Tract. I. P. I. c. I. art. VI. & Tract. IV. Part. I. cap. II.*

XI. III. Debet abstractum eò modo inesse, quem importat concretum. Quamvis enim post mortem anima sit in aliquò ubi, illud ubi tamen non dicitur animatum, propterea, quod animatum esse importet, ut in aliquò sit anima, tanquam forma. Quamvis item in marsupio sit aurum, (quod licet simpliciter concretum, sit, tamen respectu hujus concreti, *aureum*, est abstractum, vel abstracti rationem habet, propterea, quod minus concretum, est aurum quam aureum, sicut minus calidum respectu magis calidi, habet rationem frigidi) marsupium tamen non dicitur aureum, quia aureum non dicitur simpliciter ab aurò, aut ab eò, quod aurum, quòvis modò in aliquò est, sed quod ex aurò constat.

XII. Dicis: Cum aurum sit in marsupio, & marsupium non dicatur aureum, quòdam ergò concretum de aurò deductum de eò prædicabitur? Resp. Non semper impositum est nomen concreti, quò significetur abstractum hòc vel illò modò inexistens; & ita fit impræsentiarum. Unde dicendum: *Cui inest abstractum, de eò dicitur*

tur concretum, si ipsi respondeat aliquod concretum impositum ad significandum ipsum, ut tali vel tali modo inest.

REGULA IV.

Ab inesse ad predicari, valet consequentia.

I. Potest etiam ita dici: *Ab inesse ad esse valet consequentia, quia quando aliquid de aliquo predicatur, tunc unum dicitur esse alterum: quemadmodum animal non predicatur de homine, nisi dicendô: Homo est animal.*

II. Proponere autem Regulam hęc volui propter magnam convenientiã, quam habet cum præcedenti: quod inde patet, quia præcedentis nullus est sensus alius, quàm hic: *Ab inesse abstracti ad prædicationem concreti de eo, cui abstractum inest, valet consequentia.* Unde omnia ferè, quæ circa illã Regulam notata fuerunt, in hęc quoque observanda sunt. Sunt tamen non planè eadem, hęc ipsò, quod præcedens loquitur de inesse abstracti & prædicatione concreti; hæc autem de inesse alicujus, non determinandô, abstractum sit, an concretum, & de prædicatione ejus, quod inest, non determinandô, in concreto prædicetur, an in abstracto; quamvis sæpè si abstractum dicatur inesse, in prædicato sumendum sit concretum.

III.

III.
la, quæ
hic or
quod
aut ta
de eò p
tò, tan
IV.
argun
tò alicu
ciproc
propt
quid
poste
plicat
mal in
quam
cum i
V.
en si
quen
dicar
gene
eoin
cuj i
inest
susce
tribu
fion

III. Hanc ipsam ob causam exceptio illa, quam *Reg. preced. §. III.* proposuimus, hic omittenda est: potest enim omne id, quod inest, tanquam species individuo, aut tanquam genus speciei vel individuo, de eò prædicari, cui inest, si non in concreto, tamè in abstractò, sicut ex *§. cit.* constat.

IV. Vocat autem Aristoteles ab inesse argumentari ad prædicari *II. Top. cap. I. τὸ ἀλλήσεθεν τὴν ἀπὸ τινὸς εἰκότων ἐνομασίαν, reciprocare ab aliquo propriam appellationem*, propterea, quòd hic id, quod, quando aliquid alicui inesse dicimus, est subjectum, postea fit prædicatum, quemadmodum explicat Alexander: ut patet, cum dico: *Animal inest homini. E. homo est animal*; quamquam conversio ista non planè eadem est cum illà, de quà Aristoteles *I. post. c. II.*

V. Docet autem Aristoteles, *ἀλλήσεθεν* sive conversionem hanc, h. e. consequentiam hanc ab inesse ad esse sive prædicari, esse necessariam & perpetuam in genere, definitione & propriò. Si cui enim inest animal, illud est animal: & si cui inest rationale, illud est homo: & si cui inest esse susceptivum Grammaticæ, erit susceptivum Grammaticæ. In accidentibus autem, ait, non esse hanc conversionem sive consequentiam necessariam. quem

quemadmodum non statim, si Æthiopi inest albedo, est albus; aut si aquæ calor inest, est calida; sicut constat ex explicatione *Reg. preced.* Huc ergo referenda sunt omnia, quæ circa præcedentem *Regul. d. S. III.* attulimus.

VI. Verùm superest adhuc aliqua difficultas, quæ ex hæcenus dictis dilui nequit. Nam esse spirituale, sive incorporeum inest homini: esse enim animæ rationalis, est, esse spirituale & incorporeum; Esse autem animæ rationalis, inesse homini, quis negarit? Interim homo non est spiritualis, & incorporeus. Potest hæc objectio ita formari:

Quod inest illi, quod alteri inest, id ipsum etiam illi alteri inest.

Sed simplicitas & spiritualitas inest anima, quæ inest homini.

E. & ipsa simplicitas & spiritualitas inest homini.

Homo autem non potest dici simplex aut spiritualis, quod directè adversatur *Reg. preced.*

VII. Dicendum, posse aliquid alicui inesse dupliciter I. *immediatè*, quod scilicet ita inest, ut non inest prius alteri, de quò affirmetur; & quod sic inest, semper prædicatur de eò, cui sic inest, observatis iis, quæ

quæ hætenus in hisce duabus Regulis notavimus. II. *Mediatè*, & quæ sic insunt, eorum nonnulla prædicantur non tantùm de iis, quibus *immediatè*, sed & de iis, quibus *mediatè* insunt, ut intellectio vel intelligere *immediatè* inest animæ, & mediante animâ homini, diciturque non anima solùm intelligere, sed & homo; Quædam autem denominant tantùm ea, quibus *immediatè* insunt, quoniam nimirùm repugnat ea de hisce prædicari: quemadmodum esse accidens, inest calori *immediatè*, & quia calor inest igni, idèd etiam accidens, vel esse accidens, inest igni; calor tamen solus est & dicitur accidens, non autem ignis, quod id naturæ ignis repugnet. Ita docet Occham *l. dist. IX. quest. II.* & Gabriel *ibid. art. III.*

IIX. Hinc patet responsio ad objectionem §. VI. propositam. Veræ enim semper sunt Regulæ de iis, quæ insunt, respectu eorum, quibus *immediatè* insunt, observatis propositis requisitis. Sed non semper veræ sunt, observatis etiam omnibus aliis requisitis, respectu eorum, quibus *mediatè* insunt. Potest enim inter ea, quæ insunt, & ea, quibus insunt *mediatè*, aliqua intervenire repugnantia, ut prædicatio impediatur. Spiritualis enim & simplicitas;

titas, vel esse incorporeum, immediatè insunt anima, & propterea de eâ prædicatur: dicitur enim anima simplex, spiritalis, incorporea; quod autem de homine ea non prædicantur, causa est, quod ipsi tantum mediatè insunt, & ita quidem, ut hominè esse spiritualem, incorporeum, &c. involvat contradictionem.

IX. Diximus autem §. II. si abstractum insit alicui, sæpè in prædicato sumendum esse concretum. Id quis sibi explicari postulet, ut sciat, quando inexistente abstracto ipsum abstractum, quando concretum prædicari possit aut debeat. Verùm id ex parte conflat ex §. II. Reg. præced. ex profelsò autem tradetur infra in Diss. de Propositionibus.

REGULA V.

De quò prædicatur concretum, ei inest abstractum.

I. Vulgò ita: Dicitur de aliquo requiri inesse. Sive: A prædicari ad inesse, valet consequentia. Quamvis hoc posterius sit aliquo modo universalius, cum ad prædicationem abstracti de abstracto se etiam extendat. Sed non videntur esse universaliter vera. Nam interdum, ut aliquid de aliquo prædicetur, necesse est, ut abstractum ipsi insit: quemadmodum nihil album vel calidum dicitur, nisi cui albedo vel calor insit. Sæpè ta-

meo

men id non requiritur: ut paries dicitur videri & pecunia amari; & tamen nec visio parieti, nec amor pecuniæ inest. Dantur enim denominationes non solum intrinsecæ, sed etiam extrinsecæ.

II. In prædicationibus quidditativis, imò in omnibus essentialibus universaliter verum esse videtur, id quod de aliquo prædicatur, ipsi inesse. Quod eum de essentiali rei, id non potest esse extra rem. At in accidentalibus id non semper ita esse, ex §. præced. constat.

III. Sed unde novimus, inquis, quando; ut concretum de aliquo prædicetur, necesse sit, abstractum ipsi inesse, & quando non necesse sit? Puto, respiciendum esse ad definitionem concreti, saltem nominalem. Nam interdum ipsa explicatio nominis concreti importat inexistentiæ abstracti in ipso: sicut justus dicitur, cui justitia inest, calidum, cui calor inest. Interdum ex expositione nominis concreti perspicitur, non necesse esse, ut ipsi abstractum inest: ut videri dicitur id, circa quod visio versatur, & calefaciens id, à quò calor efficitur. In prioribus igitur ut aliquid de aliquo prædicetur, debet abstractum inesse

inesse, non in posterioribus. Loquimur autem de *predicatione propria*. Nam calidum est idem, quod habens calorem, vel ignis, cui calor inest. Sol autem dicitur calidus, etsi ipsi calor non inest; verum id fit improprie.

IV. Sed potest forsan & alius Regulae sensus ostendi. Aristoteles verbum *inesse* de iis usurpat, quæ non reverâ inest; quemadmodum constat ex *IV. Phys. c. III.* ubi dicit, *esse aliquid in aliquo, sicut res Græcorum in Rege, & omnino in primo movente.* Item *esse aliquid in aliquo ut in fine.* Et *II. Magn. Metaph. cap. XII.* ait: *Cognosci & amari esse in rebus anima experitibus. Cognoscere autem & amare in animalibus.* Certum tamen est, quod res dicantur amari & cognosci per denominationem extrinsecam, & quod cognitio & amor, per quæ aliquid dicitur cognosci & amari, non sint in rebus inanimatis, quæ cognoscuntur & amantur, sed tantum in animatis, quæ dicuntur cognoscere & amare. Videtur autem in hoc posteriori locò, *aliquid alicui inesse*, idem esse, quod *aliquid alicui competere vel convenire.* Hoc ergo modo explicaverit quis Regulam, & dixerit, ut aliquid de aliquo dicatur, requiritur ut ipsi conveniat.

V. At inquis: Hoc ipsum *aliquid alicui convenire*, est *aliquid de aliquo predicari*, &

per hoc
hoc n
quid d
es præ
VI.

vel con
aliqui
impor
inter s
alicui
admo
cisò o
gitant
aliqui
tum, l
dicatu

VII
sempe
tur, si
quodl
affirm
album
quodl
prædic

I. I
ma: I.

per

per consequens, si in Regulâ nostrâ *in esse* hoc modo explicetur, sensus erit, *ut aliquid de aliquo prædicetur, requiritur, ut de eo prædicetur, quod ineptum.*

VI. *Ex. Nego, aliquid alicui convenire vel competere, esse formaliter idem, quod aliquid de aliquo prædicari.* Prædicari enim importat actum intellectus, quò termini inter se componuntur; at competit aliquid alicui præcisò omni actu intellectus: quemadmodum igni competit calefacere, præcisò omni actu intellectus, & nemine cogitante. Habet se igitur hoc, quod dico, *aliquid alicui convenire, sicut fundamentum, propter quod aliquid de aliquo prædicatur.*

VII. Sciendum autem, nos hæcenus semper locutos de eo, quod *verè prædicatur*, sive ita, ut propositio vera sit. Nam quodlibet potest de aliquo prædicari sive affirmari, sicut possum dicere, *corvum esse album, & nivem nigram*, sed non potest quodlibet de quolibet prædicari ita, ut prædicatio vera sit.

REGULA VI.

Abstractum est forma concreti.

I. Dupliciter sumitur vocabulum forma: I. pro *formâ informantè*, ut constituit

PP

ali-

aliquod genus causarum. II. *pro ratione, per quam aliquid est & denominatur.*

II. Jam dico I. *Quoddam abstractum est concreti forma in primâ significatione, quoddam non est.* Prima pars patet de animâ & albedine: hæc enim sunt abstracta animati & albi, quod constituunt, ut formæ informantes id, quod animatum dicitur & album. Eadem ratio est coloris respectu calidi, justitiæ respectu justii, & cæterorum. Altera pars etiam manifesta est (1.) in visione, quæ visi, & calefactione, quæ calefacientis abstractum est; at nec visio visi, nec calefactio calefacientis forma informans est. Omnis enim forma informans est in re, quam informat: at visio est extra rem visam, & calefactio extra calefaciens. Idem dicendum de omnibus abstractis, respectu concretorum extrinsecè denominantium. (2.) In abstractis substantiarum completarum. Humanitas enim & animalitas non sunt formæ informantes hominis & animalis, quorum abstracta sunt, sed potius important totam eorum essentiam ex materiâ & formâ compositam. (3.) Materiâ est abstractum materiati, & tamen non est forma, quæ informat materiatum, sed potius id, quod à formâ informatur.

III. II. Dico: *Omne abstractum est concretum*

ei form
nim ab
denon
allquid
ab hun
tum di

I. Et
cretum
album
id, per
cô est.

II. S
dô dici
us est
nemin
tantum
scendi
est priu
differa
rem; qu
fert, tu

III.
esse resp
ne: que
tissimu
sed int
abstrac

et forma, in secundâ significatione. Omne enim abstractum est id, à quò concretum denominatur: quemadmodum à visione aliquid videri, à calefactione calefaciens, ab humanitate homo, à materia materialium dicitur.

REGULA VII.

Abstractum est prius concretò.

I. Est enim abstractum id, per quod concretum formaliter est: ut, per albedinem, album, per humanitatem homo. At omne id, per quod aliquid formaliter est, prius eò est.

II. Sciendum autem, prius duplici modo dici: *re & ratione.* *Re* prius est, quod prius est citra operationem intellectus, sive nemine cogitante. *Ratione* autem, quod tantum ex imperfectò nostrò modo cognoscendi prius est. Nempe, quando aliquid est prius aliquò, ita ut ab eò secundum rem differat, tunc est etiam prius secundum rem; quando autem ab eò solâ ratione differat, tunc etiam ratione saltim prius est.

III. Dico autem, abstractum interdum esse *re ipsâ* prius concretò, interdum *ratione*: quod quidem ex *§. preced.* erit evidentissimum, si ostenderimus, non semper re, sed interdum ratione solùm à concretò abstractum distingui.

IV. Picus Mirandulanus *Lib. de Ente & Uno cap. III.* inter abstractum & concretum id discriminis facit, quod illud per se tale sit & non ab alio; Concretum autem sit tale beneficio & participatione alterius, nempe abstracti: quemadmodum lucens luce lucet, & candidum candore candidum est; candorem autem à seipso, & nullius participatione candorem esse ait. Hinc statuit, ens, ut pro concreto sumitur, importare aliquid alieni, & esse id quod esse (tanquam abstractum suum) participet. Atque inde concludit, Deum non esse ens, sumtâ hâc voce pro concreto, quia in Deo nihil est alieni, neque est illud per participationem. Quam opinionem quisquis perpendet, sine dubio colliget, Mirandulanum statuisse, abstractum à concreto semper secundum rem differre. Eiusdem sententiæ est Scaliger, qui & ipse *Exercit. CCCLXV. Sect. VI.* negat, Deum rectè dici ens, omnipotentem, justum &c. quia, si hæc & alia concreta de Deo rectè dicerentur, esset in Deo aliud ab ipso. Et ipso prius, nempe abstractum.

V. Nos concedimus, sæpè abstractum à concreto realiter differre, ut apparet in exemplis à Mirandulano adductis: nam

candi

candidum idem est, quod habens candorem, sed habens candorem realiter differt à candore: nam per *habens candorem* significatur subiectum candoris: subiectum enim candoris est id, quod candorem habet; sed subiectum candoris, v. g. charta, realiter differt ab ipso candore. Eadem ratio est lucentis sive lucidi, respectu lucis. Atque hæc causa est, cur in eiusmodi accidentibus nec abstracta de concretis aut subiectis suis, nec concreta aut subiecta de abstractis verè prædicari possint: omnes enim hæc prædicationes: *Candor est candidus, candidus est candor, charta est candor*, pro falsis habentur. Quod si inter hæc non intercederet distinctio realis, istæ prædicationes essent utique veræ, quemadmodum constat ex *s. VI. Reg. II.*

VI Non dubito tamen, quin non rarè etiam solâ ratione abstractum & concretum distinguantur. DEUS, Pater, Filius &c. in divinis concreta sunt; Deitas, paternitas, filiatio, abstracta quis negaverit? Sed differtne Deitas à Deo, Paternitas à Patre, filiatio à Filio realiter? Diciturne Deus Pater per participationem paternitatis? Clara etiam res est extra DEUM. Quantitas enim e. c. est divisibilis per divisibi-

visibilitatem, tanquam per abstractum ubi profectò abstractum & concretum secundum rem sunt idem, nec plus quam ratione distinguuntur. Nam divisibile nihil dicit aliud, quam subjectum in rectò & divisibilitatem in obliquò, sicut candidum importat subjectum in rectò, & candorem in obliquò. Videatur Philippus DuTrieu *Manuduct. ad Logicam Tract. I. P. l. c. Lart. V. & VI.* Subjectum quod immediate & per se est divisibile, est quantitas, adeò ut si quantitas per se existeret extra omnem substantiam, adhuc esset divisibilis. Dico autem, divisibilitatem à subjectò, nempe quantitate, secundum rem non differre, quia ablatis omnibus, quæ cogitari possunt tanquam à quantitate secundum rem distincta, adhuc quantitas est & manet divisibilis.

VII. Ex quibus jam evidens est assertio nostra §. III. proposita. Nam

Quæcunque ita priora sunt aliquibus, ut reipsâ ab iis differant, illa re ipsâ ipsis sunt priora.

At nonnulla abstracta ita sunt priora suis concretis, ut reipsâ ab iis differant.

E. nonnulla abstracta reipsâ sunt priora concretis.

Sicut &

Quæ-

Quæcunque ita sunt priora aliquibus, ut solâ ratione ab iis differant, illa sunt ratione ipsis priora.

A. abstracta quædam istô modô sunt priora concretis.

E. abstracta quædam ratione sunt priora concretis.

Major utriusque argumenti est desumpta ex §. II. Minor autem constat ex §. V. & VI.

IX. Satis autem perspicitur, ex §. IV. scire, non omne abstractum re ipsâ differre, & aliud à concretô, ipsôque prius, & per participationem tale esse, non parvi rem esse momenti. De sententia Scaligeri & Mirandulani, *an de Deo ens & concreta alia rectè prædicentur?* alibi egimus.

IX. Dicis: Omnis forma secundum rem differt à formatô. E. & omne abstractum secundum rem differt à concretô. R. Antecedens verum est de formâ in formante, & quæ est causa propriè dicta: sed de formâ, sumtâ pro ratione, à quâ aliquid formaliter denominatur, non est universaliter verum: sicut patet de divisibilitate,

quæ est forma, à quâ quantitas de-

nominatur divi-

sibilis.